

PIO AC VERITATIS STUDIO

LECTORI

CAESAR BARONIVS. S.



HCC E tertium tibi, Lector, exhibemus nostrorum Annalium Tomum, quem te avidius expetisse, expectasseque scimus; utpote qui probe noueris difficilimas in eo pertractandas esse quaestiones, perplexitatesque pene insolubiles enodandas: ut & iure existimare potueris, haud ita liberam atque securam, ut in ceteris, esse progressuram orationem dubiarum rerum trepidatione cunctantem. Ita sane. At illud certe quidem non te praeterit, a labore improbo vinci omnia, si praesertim diuinus fauor aspiret, cui potissimum inniti consueuimus. Quid autem in hoc Tomo elaborando vigilans nostrum studium tibi praestiterit, iudicabis tu ipse, cum magno otio cuncta perlegeris: non enim te volumus tantummodo eorumdem Annalium inspectorem, sed curiosissimum exploratorem, & (quod magis expetimus) proficuum tibi, alijsque fructuosum esse lectorem. Huius namque rei gratia eiusmodi suscepimus laboris immensi prouinciam; nimirum, ut excurrendo ab exordio Christi Regni in praesentem usque diem annorum singulorum periodos, unam eandemque semper fuisse intelligas Catholicam fidem, perseuerasseque iugiter unam Ecclesiam, vicissitudine tamen rerum & temporum agitatam. Ut enim catenam unam conficiunt connexi annulis annuli, ita anni annis coniuncti pluribus annorum circulis unum idemque opus perficiunt, atque unam tibi eandemque semper existentem representant Ecclesiam: quo quidem pia menti, verique solummodo cupida nihil accidere gratius, nihilque potest esse iucundius; dum Christianam fidem, quam credit, eandem ab ipso Ecclesiae exordio cunctis saeculis traditam, illibate seruata, sancteque custoditam considerat.

Sed & doceant te (qui scopus historiae est) maiorum facta prudentiam, illam videlicet, quae diuini Spiritus est, atque pacem, ex sententia Apostoli, vitamque conciliat: admoneantque te pariter, ut deuites huic longe contrariam fatuam illam saeculi prudentiam, tetro mortis nomine definitam, a filijs Agar, reprobis scilicet omnibus, tantopere perquisitam. Haec quidem per facile assequeris, cum totum hunc Annalium cursum (qui, sicut omne tempus die ac nocte, contrariarum rerum vicissitudine voluitur & interpolatur) attente contemplans; quid bonum, quidve sit malum, intelliges; qui item lucis, quiue filij sint tenebrarum, addisces; qui denique regia gradientur via, quiue non recto pede incedant ad Euangelij veritatem, vel claudicent in utramque partem, plane cognosces. Sunt enim, proh dolor, & Ecclesiae filij, & fidei Catholicae professores, qui etsi Baby-

Rom. 8.

Baruch. 3.

lonice

lonica fornacis ignem impietate succensum cauent, fumo tamen non ca-
rent, dum inconsulte nimis Ecclesiasticam auctoritatem deprimunt at-
que contemnunt, quam recentiores haeretici penitus conuellere atque pro-
sternere satagunt: Cum par esset, hoc potissimum tempore, quo ea ab ad-
uersarijs impugnatur, a filijs Ecclesiae defendi, erigi, atque firmari; ip-
aque imitari naturam, qua tunc assurgit vehementiore conatu, cum con-
trarijs lacebitur; legeque Spiritus tunc ardentioribus animis repugnare,
cum acerbiora aduersariorum certamina ingruunt. Nam in Christi fide-
libus tunc Ecclesia fortior emper apparuit, cum grauioribus fuit praec-
lijs appetita.

Luc. 11.

At quid hoc perditissimo tempore? Cum enim Dominus dicat: Qui
non colligit mecum, dispergit; & qui non est mecum, contra me est: cuius-
nam, quae so, ordinis hi censendi erunt, & in quorum redigendi classem; qui
hac ex parte, etsi non cum aduersarijs, pro aduersarijs tamen eo modo
dimicare noscuntur? Tu ipse dicas, quid sentias. Sed hac haecenus. Pro-
uoco te in omnibus ad ipsorum Annalium lectionem, in quibus expressam
quolibet tempore habes cum fidei Christiana veritate, eam qua ex Deo
est, & a Sanctis receptam, probatamque usu prudentiam. Hos, Lector,
lege ex Annalibus fructus, iisdemque frueri, atque vale.

